

XCVIII. Atque hîc subsisto, putans, septem pag. 10. à me proposita themata, duce, ac luce historiâ, ex ipsis Protestantium relationibus haustâ, jure factis applicato, ita esse demonstrata, ut satisfactum sit omnibus argumentis, quæ Clariss. MOSERUS, sive in tractatu expresso de Clausulâ, sive in libris, queis titulus: *Teutsches Staats-Recht*, protulit. Scopus est, ut, visis Clausulæ Ryswicensis fulciminibus, nolit futuræ, ad quam aspiramus omnes, paci remora per *disputationem pro abolitione* interjici; quidquid enim tentabitur adversùs eam, pace tamen (quod Deus velit proximè!) conclusâ, cantabo:

- - - - - Stetit aggere fulti  
*Cespitis, intrepido vultu, temmènsque minaces*  
 CLAUSULA, *nil metuens, constanter jure suo stans,*



## PARERGA.

### EX JURE NATURÆ, & GENTIUM.

- I. *Gladius victor non est Judex controversiarum inter Supremos.*
- II. *Regulariter Princeps non potest compromittere in gladium victorem.*
- III. *Unde quoque publicum duellum regulariter est illicitum.*
- IV. *Duelli autem privati non est excogitabilis casus, sive in statu naturali, sive civili, qui illud licere faciat.*

### EX JURE CANONICO.

- I. *Duo Capitula, vix sustinibilia, videlicet 2. de translat. Episc., & 13. de Judic., conabor per totum sustinere.*